DE ORDINE ET TEMPORIBUS

QUIBUS HORATIUS SINGULAS SATIRAS COMPOSUERIT COMMENTATIO.

DE ORDINE ET TEMPORIBUS

QUIBUS HORATIUS

SINGULAS SATIRAS COMPOSUERIT COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ANTONIUS CLODIG.

TERGESTI

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA C. COEN

M DCCC LX VII.

DE ORDINE ET TEMPORIBUS

QUIBUS HORATIUS

SINGULAS SATIRAS COMPOSUERIT COMMENTATIO.

In tanta discrepantia inter doctorum judicia, in tam incertis saepe rerum rationibus, si meam de ordine et temporibus, quibus Horatius singulas satiras composuerit, sententiam protulero, audacter nimis fortasse fecisse videbor, et recte amici a consilio fortasse meo me revocabunt, ut Horatium, cum Graecos versus facere vellet, tali voce vetuit Quirinus:

> " *In silvam non ligna feras insanius ac si*
> *Magnas Graecorum malis implere catervas.* „

Sed ipsa res, quoniam certis rationibus et argumentis non videtur ad liquidum posse perduci, ad se me vocat et trahit, ut ipse videam pervestigemque, quidnam possit erui certi, aut quid in medio sit relinquendum. Atque rem ita instituam, ut me ad Kirchneri, viri de Horatio emendando et interpretando meritissimi, potissimum adplicem dissertationem, quia quaecunque ad hunc diem de Horatio aut observata sunt aut disputata, ab hoc profecto summo viro " apis Matinae more modoque „ et undique collecta repereris et omni ex parte subtilissime pensitata. Neque tamen Düntzeri Frankii, Teuffeli, Walckenaeri, Weicherti aliorumque doctissimorum virorum, quorum non mediocriter moveor auctoritate, negligam commentationes, quamquam tanta sunt in varietate ac dissensione,

ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Atque ego quidem si nonnullorum sciens et prudens praeteriero disputationes, qui has perlegent pagellas, quantum laboris et temporis haec studia requirant, si secum reputaverint, veniam spero mihi daturos. Variis enim occupationibus cum distinear et saepius a scribendo retarder, facile apparebit, libellum me non uno et continuo tenore sed subsicivis potuisse exarare temporibus. Sed ne qui inanem me operam dicant insumpsisse in eo scribendo, non posse vere judicari monuisse velim de poetae vita, arte, ingenio, nisi cum poematum tempora accurate sint cognita. De quibus priusquam quaestionem instituam, Horatii vita mihi narranda videtur, qua descripta ad illam ipsam naturali quadam via tandem progrediar.

Quintus Horatius Flaccus [1]) natus est Venusiae colonia Romanorum in Apulia sita, Lucanorum agris confini, a. u. c. sexcentesimo octogesimo nono, sive a. Chr. n. sexagesimo quinto, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. [2]), patre libertino, homine frugi et honesto. "Qui quamquam macro pauper agello [3]) „ tamen puerum, cujus bonam indolem perspexerat, noluit committere ludo oppidano, cui Flavius quidam praeerat, licet magni et superbi centuriones [4]) filios suos eum ludum frequentare juberent, sed est ausus Romam portare docendum:

Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos — [5])

Non fuit igitur pater Horatii dives, si quidem ipse poeta [6]) in tenui re majores nido pennas se ait extendisse — sed tamen primum Venusiae, post Romae exactoris munere fungens in exigendis

---

[1]) De fam. Hor. conf. Atto Vanucci, Studi storici e morali sulla Letter. Lat. p. 223.

[2]) Od. 3. 21. ad amphoram. "O nata mecum consule Manlio„ et Epod. 13. 6.

[3]) Sat. I. 6. 71.

[4]) Sat. I. 6. 73.

[5]) Sat. I. 6. 77.

[6]) Epist. I. 20. 20.

pecuniis modicam rem colligere potuit. Is igitur habuit puerum liberalissime, et ei vestitum, qui nobiles deceret adolescentes, atque adeo pedisequos dedit atque ipse ei

" *custos incorruptissimus omnes*
Circum doctores aderat — [1]).

Inter quos Orbilium grammaticum [2]) fuisse constat, hominem plagosum, qui pueris carmina Livii Andronici et Homeri [3]) dictare solebat. Praeterea grammaticos et rhetores more illius aetatis eum audivisse, quamvis de hisce ejus studiis nihil memoriae proditum sit, verisimile est.

Horatius itaque educatus est Romae ea aetate, qua quidem reipublicae status vehementer erat virorum summorum Cn. Pompeji, C. Crassi, C. Jul. Caesaris ambitione labefactatus et conquassatus. Quae tempora etsi reipublicae Romanae haudquaquam fausta et felicia fuerunt, tamen Horatio nato poetae non offecerunt, cum ipsa temporum miseria atque tristis morum depravatio eo valuisset, ut ille ipsa institutione, qua usus erat duce, eam ingrederetur viam laudis virtutisque, qua postea summus poeta evasit. Accessit ad eam institutionem, quam diximus, philosophiae ratio et conformatio. Etenim viginti annos natus a. U. 709. Athenas migrare decrevit:

" *Scilicet ut posset curvo dignoscere rectum,*
Atque inter silvas Academi quaerere verum „ [5]).

Clari autem illa aetate fuerunt Theomnestus Academicus, quem ab Horatio auditum esse ex versu, quem supra scripsimus, verisimile est, et Cratippus Peripateticus [4]). Quibus studiis cum esset intentus, M. Brutus post necem C. Caesaris mense Septembri a. U. 710. Athenas trajecit adversus eos, qui reipublicae libertati inimici

[1]) Sat. I. 6. 77. seq. & I. 4. 105. seq.
[2]) Epist. II. I. 69. seq. — de Orbil.. v. Vannucci p. 230.
[3]) Epist. II. 2. 42.
[4]) Epist. II. 2. 43.
[5]) Cic. de Off. I. 1.

extitissent, bellum paraturus, atque cum alios juvenes Romanos litterarum causa ibi commorantes, tum Horatium ad partes suas pertraxit. Cui Horatius adeo probatus est, ut statim tribunus sit factus. Secutus igitur est Brutum in Macedoniam, deinde cum eo in Asiam trajecit, ut facile apparet ex Epist. I. 11. 6. et Sat. I. 7. meruitque stipendia usque ad pugnam Philippensem, quae exeunte anno 712., aetatis ejus vicesimo quarto, commissa est. Devictis ab Antonio et Octaviano Bruti et Cassii partibus, Horatius in fuga salutem quaesivit, in Italiam et quidem Venusiam [1]) profectus est et postea a Triumviris veniam impetravit. Pater ejus cum interea obiisset atque proscriptione fundo paterno Horatius esset privatus [2]), scriptum quaestorium, quo vitam sustentaret, sibi comparavit [3]). Tum igitur, ut ipse ait, paupertas eum impulit audax, ut versus faceret. Quem [4]) locum varii varie sunt interpretati, sed ut reliquorum omittam judicia, Kirchnerus, quem Frankius secutus est, acu rem tetigisse mihi videtur, cum censeret, poetam juvenili fervore jam ad versus fundendos propensum, jactura dignitatis, libertatis reique familiaris ad eam morositatem et rabiem esse compulsum, ut versus contumeliosos faceret [5]). Cum in vita Horatii breviter enarranda eo pervenerim, ut eum versus fudisse dicerem, facili deferor gradu ad ipsam quaestionem, quam de Satirarum ordine et tempore instituendam mihi proposui.

Versus primos, quos memoravi fuisse Satiras et Epodos [6]) inter omnes, qui in Horatii poematis bene versati sunt, convenit; sed quem singulae satirae in ordine et serie compositionis locum occupent, mirum in quot sententias discedunt. Quarum nulla neglecta atque omnium argumentorum momentis examinatis, ad

[1]) Franke, fast. Hor. pag. 17.

[2]) Epist. II. 2. 50. App. b. civ. IV. 3.

[3]) Sat. II. 6. 36. seq. — Ceterum Frankius, fast. Hor. p. 32. n. 14. rem in dubium vocavit praeeunte Passovio, Sanadono. Cfr. et Zumptii commentationem in editione Sat., quam Heindorfius curaverat.

[4]) Epist. II. 2. 51.

[5]) Kirchner., quaest. Hor. pag. 15., Frank. fast. Hor. pag. 19. 20.

[6]) Od. I. 16. 22. Sat. I. 4. 41.

verum quam proxime accedere conabor. Bentlejus, philologorum suae aetatis facile princeps, quaestionem de universis satiris in praefatione ed. Lips. 1764. p. IX. seqq. breviter ita absolvit: " Magno quidem studio et acerrima contentione post Tanaquilli Fabri operam Clarissimi viri Dacerius Massonusque in hanc arenam descenderunt; quorum equidem acumen et eruditionem in partibus laudo, in operis vero summa totoque constituendo rem eos infeliciter admodum gessisse censeo. Horum enim rationibus, et Carminibus et Epodis et Sermonibus Epistolisque scribendis uno ac eodem tempore vacavisse Nostrum necesse est, et singula quaeque poëmata separatim in vulgus edidisse: quorum utrumque a vero alienum esse mihi pro comperto est. Quippe omnibus, qui ejusmodi poëmata scripserunt, id in more erat, ut non sparsas Eclogas, sed integros Libellos semel simulque in lucem ederent. Ita Catullus fecit, ut ex Epigrammate I. constat, "" Cui dono lepidum novum libellum; ita Tibullus, quem vide Elegia I. Libri tertii v. 7. et 17.; ita Propertius Eleg. I. librorum II. II. et IV., ut et Libri II. Eleg. X. v. 25. et XIX. v. 39; ita Virgilius Bucolica dedit, ut patet ex ultimo illo: "" Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem; „„ ita Naso Amorum et tristium et Ponticorum libros, ipso teste; ita Statius Silvas suas; ita Martialis Epigrammata, ut Praefationes eorum fidem faciunt; ita Persius Satiras, Phaedrus et Avienus Fabulas; Ausonius, Prudentius, Sidonius, Venantiusque sua Carmina, quod ex eorum Prologis abunde patet. Quid quaeris? Ipse quoque Horatius Libellos suos junctim editos aperte indicat, primum Carminum librum ex Prologo; secundum tertiumque ex Epilogis; Epodos ex illo XIV.: " " Inceptos, olim promissum carmen, Jambos Ad umbilicum adducere; „„ Sermonum priorem librum ex versu ultimo: "" I puer, atque meo citus haec subscribe libello; „„ posteriorem ex Prologo; priorem vero Epistolarum et ex Prologo et ex Epilogo. Quartum vero Carminum et Epistolarum secundum longo post cetera intervallo emissos esse, plenissimum est Suetonii testimonium; quod qui aut refellere aut eludere conantur, inanem operam insumunt. His jam positis, primum Horatii opus statuo Sermonum librum primum, quem triennio perfecit intra annos aetatis XXVI. XXVII. XXVIII., postea secundum triennio itidem, annis XXXI. XXXII. XXXIII. „

Cum jam praeter alios viros Weichertus in praestantissimo illo libro: Poëtarum Latinorum reliquiae, Bentlejanis rationibus dubiam fidem habuit, tum maxime Kirchnerus hanc Bentleji rationem in quaestionibus Horatianis improbavit, et de integro quaestione instituta duos Satirarum libros non intra septem, sed intra sedecim annorum terminos constituit. Frankius magis cum Bentlejo facit; contra Walckenaerus [1]) in constituendo Satirarum tempore paulum a Kirchnero differt; Teuffelus [2]) Horatii Satirarum librum I. intra a. 713. et 719., secundum intra a. 821. et 727. includit; Zumptio intra a. 714. et 724. Satirae scriptae esse videntur. Quibus sententiis propositis accedamus ad singularum satirarum tempora definienda. Etenim si de singulis veri quid statuerimus, de universis facilius verba faciemus. Discernendum autem diligenter est tempus, quo singillatim Satirae seorsum in lucem prodierunt atque apud vulgus innotuerunt, ab eo tempore, quo eaedem in duorum librorum corpus collectae atque evulgatae sunt. De qua re accuratissime disputavit Kirchnerus [3]). Nostrae igitur de Satirarum aetate, qua aut singulae aut universae juris publici factae sint, opinionis qualiscunque causas in certis argumentis potissimum, et si haec nos deficiunt demum in mera mentis suspicione et conjectura positas esse volumus.

Frankius statuit [4]) praeter primum sermonem omnes eodem ordine scriptos esse, quo nunc leguntur, et suam sententiam his argumentis tueri conatus est:

1.) Horatium tam pauca poemata vix temere et sine certa ratione digessisse credi posse.
2.) Probabile fieri aut argumentum eum aut compositionis tempus respexisse.
3.) Argumenti rationem habitam esse, neminem adhuc docuisse, nec fore, qui doceat.

---

[1]) Histoire de la vie et des poésies d'Horace. C. Cantù de hoc libro sic judicat: Non si potrebbe desiderare lavoro più completo e più noioso di quello di Walckenaer. (Stor. della Letter. Latina p. 208).

[2]) Museum für Philologie, herausgegeben von Welker und Ritschl. 4. Iahrgang, pag. 114 & 219.

[3]) Quaest. Hor. pag. 14.

[4]) Fast. Horat. p. 82.

4.) Aetatem in secundae, quartae et decimae sedibus respectam esse, inde ut idem in sex reliquis factum esse non immerito concludi possit. Solam primam absoluto demum libro scriptam esse videri.

Contra Frankium, ad cujus sententiam fere nemo accessit, Teuffelus in libro, quem jam memoravi [1]), sat certis argumentis disputavit.

Sed videamus ipsi.

Satirarum libri primi primam cum diligenter perlegerem, plura temporis indicia occurrisse mihi videbantur. Sed re accuratius explorata ex iis vix certi quidquam statui posse mihi pro comperto est.

Versu 101. memorantur Maenius et Nomentanus. — Primum scriptura " Maenius „ non est ommino certa, quoniam plerique libri mss. " Naevii vel Nevii „ nomen exhibent [2]). Tum ut veram scripturam Heindorfius constituerit, quis fuit Maenius? Fuit Nomentano, quem tunc vixisse ex libri secundi octava apparet [3]), aequalis?

Si Sat. 3. cum Ep. I. 15. 26. seq. contuleris, facile adduceris, ut putes, illum tum non jam fuisse inter vivos. Qui Maenius cum Lucilii [4]) aequalis fuisset, nostro jure miramur, cur Horatius illum cum Nomentano sibi aequali memoraverit, quamquam, quia uterque prodigus erat, apte Kirchnero [5]) una in scenam producti esse videntur. Frankius igitur hunc Maenium esse illum scurram, qui Pantolabi nomine Sat. I. 8. 11.:

" *Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,*
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti „

carpitur, probare conatus est, et in schol. ad Sat. I. 8. 11. mendose " Mallius Pontolabus scurra „ pro " Maenias „ scriptum esse

---

[1]) Museum für Phil. pag. 95.

[2]) C. Kirchner. I. 40. et 41.

[3]) Conf. v. 23. 25. 60.

[4]) C. Porph. ad Satiram I. 3. 21. " cujus et Lucilius sic meminit: Maenius columnam cum peteret „.

[5]) Sat. II. I. p. 20.

contendit. Teuffelus [1]) autem scholiastas non aliis auctoribus sed jam ipsa Ep. 1. 15. eo adduci potuisse putat, ut in Maenium nomen Pantolabi cadere (Acron: Maenius hic Pantolabus dictus est ab eo, quod quidquid offerebatur acciperet) crederent, et ideo hoc loco ullam auctoritatem et fidem eorum testimonio adjungi posse negat. Narrationem contra, quam ad locum Sat. I. 101. explicandum de Maenio Lucilii aequali proposuissent [2]), ex auctoritate veteris libelli, qui fuit de personis Horatianis, attulisse scholiastas eamque rem eis fidem addere idem Teuffelus contendit. Quae vero scholia ad Sat. I. 8. 11. de Pantolabo memoriae prodissent [Fuit Mallius (Frankius: Maenius) Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabus est cognominatus] non recte intellectum et ad arbitrium auctum esse exemplar illius annotationis ad Ep. I. 15., in quo scribendo eo majore se uti jure sibi persuasissent interpretes, quod I. — 1. 101. in consortio Nomentani pro Pantolabo Maenius positus esset, et inde Maenium et Pantolabum eundem esse colligi posse eos credidisse, praeterea idem Teuffelus disputavit. Eidem ille Pantolabus scurra, tot jam disputationibus nobilitatus, Hermogenes Tigellius junior esse videtur, suamque sententiam his argumentis tuetur:

Primum eam commendari similitudine nominis pari syllabarum numero et quantitate insignis, et Sat. I. 8. versu 11. cum Sat. 4. v. 72. collato (Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum, Pantolabo scurrae etc. — Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli), deinde adjectivum pulchri, quod Hermogeni I. — 10. 17. tributur, affinitatem prodere quandam cum scurrae cognomine, Pontolabo dato. Sed quomodocumque se haec habent, nil ex iis ad tempus, quo Satira scripta sit, adferri posse compertum habemus.

Speciosa admodum est ratio Kirchneri [3]) eclogam a. 719. scriptam esse conjicientis, quod versus 114. 115. 116. ex Virg. Georg. lib. I. v. 512. seq., a. 719. ad finem perducti et evulgati, expressi sint.

---

[1]) Museum für Phil. 97. 98.

[2]) Conf. Orel. ed. Hor. p., in qua totam de Maenio narrationem invenies vol. II. p. 15. 16. in com. ad S. I. 101.

[3]) Sat. Histor. Einleitung p. 11.

Horatius enim dicit:

" *Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,*
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem. „

Et Virgilius:

" *Ut, cum carceribus sese effudere quadrigae,*
Addunt in spatia et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga neque audit currus habenas „.

Quam Kirchneri sententiam omnino falsam esse haud contenderim, sed mihi rem accuratius perpendenti similitudo horum versuum magis casu, quam ratione evenisse videtur, praesertim cum animo utriusque poetae obversatum esse perquam credibile sit illud Hom. Il. 23. 320. seq.

ὃς δέ κε κέρδεα εἰδῇ ἐλαύνων ἥσσονας ἵππους,
αἰεὶ τέρμ' ὁρόων στρέφει ἐγγύθεν, οὐδέ ἑ λήθει,
ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν,
ἀλλ' ἔχει ἀσφαλέως καὶ τὸν προΰχοντα δοκεύει.

Quod ut credam eo magis adducor, quia hunc Homeri locum in Electra ita Sophocles est imitatus v. 715. seq.

--- ὁμοῦ δέ πάντες ἀναμεμιγμένοι
φείδοντο κέντρων οὐδέν, ὡς ὑπερβάλοι
χνόας τις αὐτῶν καὶ φρυάγμαθ' ἱππικά.
ὁμοῦ γὰρ ἀμφὶ νῶτα καὶ τροχῶν βάσεις
ἤφριζον, εἰσέβαλλον ἱππικαὶ πνοαί.

Quis autem Horatium Iliadem aut Electram legisse negaverit? [1]).

Primus tamen versus:

" *Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem* „

[1]) Frankius Horatium in ep. 2. " Beatus ille „ in celebrandis vitae rusticae laudibus pressisse Virgilii vestigia contendit, sed nescio an gravissimum argumentum sit, quo quominus ei credamus, prohibeamur, quod jam Xenophon Oec. V. 1. - 27. vitam rusticam praedicaverat.

postulat, ut post annum, quo in Maecenatis familiaritatem venit Horatius, scriptam Satiram putemus. Restat igitur, ut in annum hunc inquiramus, quo quidem constituto etiam de hujus Satirae tempore probabiliora quaedam dicere licebit.

Quem annum nobis Horatius ipse in Lib. II. Sat. 6. accuratius definit versu 40:

> " *Septimus octavo propior jam fugerit annus,*
> *Ex quo Maecenas me coepit habere suorum*
> *In numero* „ . . . . .

Ne dissertationis ordinem turbare videar, satiram illam post pugnam Actiacam circa finem 723. u. c. compositam esse, argumenta alio loco allaturus, pro comperto pono. Si igitur septem annos prope elapsos ab a. 723. exeunte retro numeramus, incidimus in finem a. 716. aut 717. initium. Nec tamen, ut Poeta I. 6. 57. seq. suavissime exposuit, statim Maecenas, quippe in deligendis amicis omnino cautior, ad interiorem familiaritatem ipsum admisit.

Quibus expositis, ut Teuffelum a vero aberrasse appareat, qui eclogam hanc ante lib. I. 4. 715. exaratam esse probare sit conatus, effecisse puto. Versus enim primus interiorem quandam amicitiam prodere mihi ita est persuasum, ut miratus sim, de hac re dubitare potuisse Teuffelum [1]), et ipsum disputationis suae fundamentum falsis opinionibus, quin incredibilibus commentis inniti mihi videatur. Quae enim de lippitudine Crispini docet, non potuisse ab Horatio rideri, si ipse jam lippus fuisset, nullius sunt momenti ad sententiam suam probandam. Quis enim nescit Horatiom etiam suos naevos perquam ingenue tetigisse? Profitetur enim ridendo dicere verum, ideoque summa cum venustate ridet vitia, non debacchatur in illa. Recte igitur Walckenaerus haec scripsisse mihi videtur: " Quand ceux que notre poëte voulait ridiculiser „ avaient des yeux chassieux, il ne manquait jamais d'ajouter cette „ difformité à tous les autres défauts dont il les gratifiait, et il „ semble qu' il ne veuille point laisser èchapper une occasion de „ rappeler qu' il avait cela de commun avec ceux dont il fait la

---

[1]) Museum für Phil. 4. J. p. 101.

„ satire, ou qu' il ne pouvait résister au penchant qui l' entraînait „ vers ce genre d' écrire, puisq' il l'exerce contre lui-même. Nous „ devons en conclure, selon la remarque d'un des plus savants et „ des plus judicieux critiques de notre temps [1]), que l' ophthalmie „ d' Horace était légère et qu' elle altérait peu les agréments de „ sa figure, ou qu' elle n' attaquait ses yeux que par intervalles ; „ bien différente en cela de ces ophtalmies chroniques, avec perte „ de cils, qui rendent la figure hideuse [2]). „ Poeticam vero artis perfectae et absolutae laudem Horatius maxime hac ecloga, urbanitate usus ingenuo homine digna, eaque cum admirabili lepore et acumine consociata, sibi paravit, ut aptissime perpulchrum illud Francogalli cujusdam in Horatium transferri mihi videatur:

" *Même quand l'oiseau marche on sent qu' il a des ailes* „.

Ars igitur poetae probati in hac ecloga expressa cernitur, quamobrem eam Kirchnerus, Frankius, Düntzerus et Walckenaerus a. u. c. 719. assignarunt. Cui sententiae et ego probabiliora, cum certa desint indicia, amplectens accedo.

Secundam satiram et tertiam inter se comparanti exordium a Tigelli moribus describendis poetam sumpsisse statim occurrit, ita tamen, ut secunda ante tertiam appareat composita.

Secunda enim ita incipit:

" *Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,*
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac solicitum **est** *cantoris morte Tigelli* „

Tertia:

" *Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos*
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant. Sardus **habebat**
Ille Tigellius hoc. „

---

[1]) Fried. Jacobs Abhandlungen T. IV. §. 14. et 15. p. 304.

[2]) Histoire de la vie et des poésies d'Horace par le Baron Walckenaer. Tom. I. p. 64.

Quem Tigellium proxime defunctum Horatium in satirae secundae initio dicere, in tertia vero ut dudum mortui mentionem facere nemo est, quin videat. Quae hoc loco observavisse satis habeo, cum de Tigellio alio loco quaestionem instituere in animo sit. Quo vero anno obierit, ex satirae hujus versu 25. colligere possumus. Insigni enim hoc versu ad tempus difiniendum:

" *Malthinus tunicis demissis ambulat* „

Maecenatem tangi et carpi scholiastae memoriae prodiderunt [1]). Schol. Cruq.: "Malthini nomine quidam Maecenatem significari suspicantur. A re autem ipsa fictum est nomen: *μαλθακὸς* et *μαλακὸς* idem est quod mollis et delicatus. Porro autem Tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles et delicatos haberi volunt. „ Acron: "Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur. Composuit autem nomen quasi a *μαλακὸς* Malthinus. Maecenatem tangit: varicosus enim fuit, delicatior et solutus. [2]) „ Porph.: "Sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari, a re tamen finxit: *μαλθακὸς* enim quasi *μαλακὸς* dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi volunt. „ Nec praetereunda est Acron. ad Sat. I. 2. v. 64. (Villius in Fausta) annotatio: "Semper incerta pro certis. Nam Fausta Syllae filia T. Annio Miloni nupta fuit, ut supra exposuit. Alibi: Me dulcis dominae Musa Liciniae pro Terentiae. Et hic Villius in Fausta, id est Annius in Fausta, eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit. „ [3]) Hanc Acronis scholiastae annotationem praeclare illustravit Bontlejus acute observans ficta illa nomina non solum numero, sed etiam syllabarum quantitate convenire, ita ut sine versus dispendio facile pro ficto nomine verum substitui posset. Ceterum plura personarum nomina in veterum poetarum carminibus esse *κωφὰ πρόσωπα* constat cum illi eos homines, quos in animo haberent, proprio nomine appellare poenae ividiaeque metu, vel alia quacunque de causa celare mallent. [4]) Poetam vero noluisse

---

[1]) De scriptura et originatione vero v. Weich. p. l. r. p. 429. et seq.

[2]) Conf. Vannucci, stud. stor. e mor. sulla Letter. Lat. p. 256. 257.

[3]) Ceterum scholiastar. in hoc nomine errorem coarguit Lambinus de qua re Weichert. p. l. r. p. 414.

[4]) De qua re Weich. p. l. r. p. 412.

Maecenatem aperte nominare inde patet, quod hic potens erat et apud triumvirum maxime valebat. Horatium vero, qui a Bruti partibus steterat illum aversatum esse, et sale suo perfricuisse facile patet. Illi cum tandem a Vario et a Virgilio a. 716. commendatus et amicus factus esset, tam imprudenter et ingrate agere, ut potentem fautorem publicae exponeret irrisioni, non potuit. Nec credibile est, eum brevi post hanc ludificationem Maecenati se commendari passum fuisse. Rectissime igitur Weichertus [1]), cum quo et Kirchnero et Frankio convenit, per aestatem a. u. c. 814. Tigellium mortuum censet. Deinde satiram hanc scripsit eaque aequalium vitia, ut adulteria, incestos, amores puerorum vehementissime Horatius exagitavit. Nec tamen Kirchnero [2]) et Frankio [3]) credideriim, qui statuunt poetae anni minimum spatio opus fuisse, ut e bello Philippensi redux rerum et hominum in urbe conditiones pernosceret. Romae enim educatus erat, et haud ita multo ante urbem reliquerat. Tamen ultra a. 714. hanc satiram proferre vetamur, quia prima omnium fuit lib. I. Sat. 7., ut suo loco sum probaturus. Et si totius eclogae hujus habitum consideraveris, si materiam atque silvam respexeris, in ea congerenda atque ordinanda Luciliano ritu audacter egisse poetam confitearis est necesse, eumque ipsum Triumvirum potentem oblique carpere, in amicos et in asseclas vero nominatim, ut in Sallustium, Cupiennium Libonem in aliosque viros tenuioris ordinis invectum esse invenies. In quibus vitiis describendis cum sermone vitae quotidianae sordibus inquinato res turpes et foedas proposuisset, juvenili petulantia quadam et impetu Horatium satiram scripsisse jure nostro dicemus. Quibus argumentis permotus et Walckenaerus [4]) judicavit:

" Ce sont tous les vices, tous les travers dont Horace fut témoin qui excitèrent sa verve satirique et lui firent écrire sa seconde satire du livre premier. „ eamque a. aetatis poetae 25., urbis 714. assignavit.

---

[1]) p. 300.

[2]) De Sat. primae, sec. et tertiae Temp.

[3]) Fasti Hor. p. 89.

[4]) Pag. 115.

Praeter argumentum statim in exordio commentationis meae de Sat. II. aetate allatum versus 63. *satirae tertiae* demonstrat luculentissime hanc post illam esse compositam.

Dicit enim poeta:

" *Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter*
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam! „

Verba vero haec: " qualem me saepe libenter obtulerim tibi „ cum scripsisset, confirmatam jam consuetudinem et familiaritatem voluit significare, etiamsi timiditatem et incertam se gerendi proderent rationem. Quare Kirchnerus recte Horatium haud multo post, quam in amicorum numerum a Maecenate adscitus est, hanc Eclogam composuisse statuit [1]).

Primi vero ad Maecenatem aditus descriptionem legimus Sat. I. 6. 55. seq.

" *Virgilius, post hunc Varius dixere, quid essem.*
Ut veni coram, singultim pauca loquutus
Infans namque pudor prohibebat plura profari „ —
. . . . " *respondes, ut tuus est mos,*
Pauca: abeo; et revocas nono post mense jubesque
Esse in amicorum numero. „ —

Hinc satiram tertiam aut exeunte a. 716. aut primis a. 717. mensibus exaratam esse recte statuimus. Posteriore tempore conscriptam esse haud est probabile, cum Tigelli memoria nondum esset extincta. Uberiore hac irrisione se non immerito ei illusisse in secunda ostendit. Qua cum in multorum obtrectationem et odium incurrisset et jam pluribus, et per Virgilium et Varium Maecenati [2])

---

[1]) Quaest. p. 53.

[2]) Qua de re Walckenaerus vol. I. 192. ita scribit:

Mécène pardonnait facilement à Horace le léger sarcasme, qu'avant de le connaître le poëte mécontent s'était permis contre lui, en faveur de l'esprit et du talent qui brillaient dans sa satire et de la philosophie épicurienne de

innotuisset, tertia Maecenatis animum sibi conciliandum omnemque malignitatis suspicionem removendam sibi proposuit. [1]) Quamobrem amicorum vitia leniter ferenda et majoribus virtutibus docuit esse tegenda. Restat, ut commemorem etiam Teuffelum eundem cum Kirchnero annum hujus eclogae statuere, quamvis — ut mihi quidem videtur — concertationis studio tantum ductus Weicherti, Kirchneri, Franki de consilio et ratione, qua Horatius in Tigellio iterum describendo sit usus, impugnaverit sententiam.

Commentationes de *Satirae quartae* aetate perlegenti perquam bene dictum illud Terentii, "quot homines tot sententiae„ mihi visum est, quoniam quot viri quaestionem instituerunt, proposuerunt tot fere sententias. Eo majore igitur diligentia et consilio in hac commentatione conscribenda utar, nec tamen aliorum judiciis neglectis verum invenisse mihi arrogabo.

Weichertus igitur p. l. r. p. 300. ait: — Obtrectationibus exasperatus scripsit Horatius a. u. c. 715. medio satiram quartam, in qua de Satirarum suarum natura et lege exposuit, suosque reprehensores, qui aliorum, quamvis malorum poetarum, ut Fannii (v. 21.) satiras admirarentur, redarguit contemnitque superciliose v. 71:

" *Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,*
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli!
Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet „. —

Patet igitur Weichertum temporis ordinem tertiae et quartae satirae ita invertisse, ut hanc illa priorem haberet, cum contra Frankius rationem suam omnes quo extant ordine compositas esse

---

l' auteur, si bien d'accord avec ses propres principes. Ce furent probablement les motifs qui lui firent désirer de le connaître. Il est probable, qu'il fut charmé aussi des traits malins et acérés de cette satire contre des personnages qu'il n'aimait pas, particulièrement contre ce chanteur Tigellius, trop bien accueilli par Octave César et qui avait eu l'habitude de prendre avec lui des licences que Mécène ne pouvait approuver.

[1]) Kirchn. quaest. pag. 53. §. 9.

tueri conatus, proximam post tertiam existimaret. Cum quo cum saltem de anno convenisset Teuffelo, Kirchnerus longe aliam proposuit sententiam, statuens anno demum 722. exeunte ab Horatio esse conscriptam. Posteriore tempore quam Kirchnero ecloga Walckenaero [1]), id est a. u. 724., exarata esse videtur.

Quibus sententiis propositis ipsi quaestionem instituamus.

Versum 21. sq., qui ad rem nostram facere videatur, primum in medium proferre lubet.

. . . . . " *Beatus Fannius ultro*
Delatis capsis et imagine, quum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos „.

Teuffelus [2]) ex hoc loco ad aetatem satirae definiendam nihil adferri posse hoc potissimum nixus argumento contendit, quod non nisi mortui Fanni imago in publicam bibliothecam sit delata, ejusdem Fanni autem in sat. 1. 10. ut vivi mentio fiat. Non potest igitur inquit de bibliotheca Asinii Pollionis a. 715. 716. condita noster locus intelligi. — Unde Teuffelus mortui Fanni imaginem in publicam bibliothecam esse delatam (Acronis nomen quidem praetendit auctoris, sed tamen locum, qui rem comprobare valeat, non adfert) resciverit, mihi non constat, sed ejus totam ruere ratiocinationem ex hoc argumento, quod scholiastae prodiderunt memoriae, facile apparet:

Fannius Quadratus — poeta malus, cum liberos non haberet, heredipetae sine ejus cura et studio libros ejus et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scriptoris (Schol. Cruq.) — o beatum Fannium, cujus imago et capsae cum libris in bibliothecas ultro receptae sunt (Porphyrion). Sed fortasse Teuffelus argumentum, quo suam tueretur sententiam, ex hoc Acronis loco petere voluit: "Fannius iste malus poeta fuit, qui cum antea contempsisset datam sibi imaginem a Senatu, postea dum moreretur, petiit, ut delatis in publicum capsis suis cum propriis libris incen-

---

[1]) vie de Horace I. p. 345.

[2]) Museum für Philologie 4. Jahrgang, p. 104.

deretur.„ — Attamen vocabulum beati parum convenire petenti, ut delatis in publicum capsis suis cum libris propriis incenderetur, Teuffelum praeteriit. Lambinus autem a senatu sive populo Fannio ultro, i. e. non petenti capsas, in quibus ejus libri conderentur ac servarentur, imaginemque ad memoriam ejus promendam delatam esse disseruit. Sed quantum id a dignitate atque instituto senatus populique Romani abhorreat, facile intelligitur. Frankius quidem [1]) rem ita mutavit, ut diceret, a plebe vel a doctis hominibus, qui inepta Fannii poemata plurimi facerent et admirarentur, et loculamenta pretiosa et imaginem dono data et delata esse, inde Horatium, quippe qui sua scripta ne lecta quidem, nedum laudata nosset, Fannium salse praedicavisse beatum.

Cum omittam mirari, quo Frankius rescierit modo Horatium scripta Fannii non legisse, tamen a me impetrari non possum, quominus loquacissimum et ineptissimum poetam — sic enim scholiastae eum appellant — plebis aut doctorum hominum negem potuisse movere admirationem. Admodum enim probabilem esse schol. interpretationem, heredipetas Fannii imaginem in bibliothecas detulisse puto — magnumque ex hoc loco adminiculum temporis peti posse, sibi Kirchnerus persuasit. Totam rem igitur in eo verti, quonam sit modo verbum deferendi accipiendum pro explorato habemus. In quo ita recte interpretando, ut de publica bibliotheca cogitemus, adjectivum beati nos admodum juvat, ad quam interpretationem eo facilius adducimur, quod morem imagines poetarum aut doctorum virorum viventium in bibliothecis ponendi ante exemplum a Pollione propositum non invaluisse constat. Cujus rei Plin. Hist. n. XXXV. auctor est dicens: Asinii Pollionis hoc Romae inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit. Dein Plinius idem (Hist. n. VII. 31.) M. Varonis in bibliotheca, quae prima in orbe ab Asiniio Pollione ex manubiis Romae est publicata, unius viventis positam esse imaginem docet. Plinii auctoritas igitur obstat, quominus Wielandi, Heindorfii, Passovii, qui hunc locum de Asinii Pollionis bibliotheca publica, quam anno 716. redux factus ex expeditione in Parthinos instruxit, interpretati sunt, accedam sententiae, quamvis illum tales

[1]) Fast. Horat. p. 95.

ineptias, quales heredipetae benevolantiae Fanni captandae causa facere potuissent, silentio praeterire et potuisse et voluisse haud negaverim.

Weichertus perhonorificum fuisse dicit, si cujus scripta in privatis bibliothecis reponerentur. Sed quominus de privata bibliotheca cogitaret, imaginis mentionem obstare ipse vidit, et ingenue fatetur, se non esse assecutum, quo sensu Fannii admiratores ejus capsas et imaginem detulissent. Etiam me in incerto haerere quonam modo locum illum interpreter, hand ibo infitias, praesertim cum Kirchneri argumentationem primo obtutu veram mihi visam, admodum debilem esse invenerim. Is enim in praefatione editionis suae sat. Hor. p. 14. docuit, locum nostrum ad bibliothecam a. 721. ab Octaviano in porticu Octaviae conditam referendum esse suamque sententiam in commentario ad satiram probaturum esse promisit. Laetus animo igitur me ad commentarium legendum contuli, sperans fore, ut tandem verum inveniam. Sed multum me spes mea fefellit. Sic enim rem probare vult, si quidem hoc est probare, ut dicat: cum jam in praefatione satiram annum 722. antecedere non potuisse probaverit, facili gradu se ad mentionem bibliothecae ab Octaviano in porticu Octaviae conditae deferri! Deinde Melissum quendam grammaticum bibliothecae ordinandae praepositum fuisse narrat, qui nulla probabiliter dubitatione esset impeditus, quominus Fanii vivi imaginem reciperet.

Idem Kirchnerus ex mentione causae Petilli a. 722. profligatae, satiram ante eundem annum scribi non potuisse certo evinci contendit. [1])

Sed quamquam commentarium Kirchneri diligenter perlegi et omnes, quos habui libros, ut unde annum causae illius eruisset viderem, pervestigavi, nusquam, ne vestigium quidem temporis potui invenire. Nisi igitur omnia me fallunt, hoc loco argumenta ex iis, quae essent demonstranda, Kirchnerum petivisse apparet. In hoc tamen mihi cum illo convenit, satiram quartam a decima non nimis tempore posse distare, quia in utraque Petilli Capitolini memorat causam (4. 94. sq., 10. 25. sq.) de cantore Hermogene (4. 73.; 10., 17. 80. 90.) et poeta Fannio contemptim loquitur. Deinde

[1]) Vide praefat. pag. 15.

quia in satira decima versus nonnullos ex quarta fere ad verbum reddidit ut 4. 2. " atque alii, quorum comoedia prisca virorum est, „ in 10. 16. " illi, scripta quibus comoedia prisca viris est; „ 4. 11.: " cum fluerét lutulentus „ in 10. 50. " at dixi, fluere hunc lutulentum „ 4. 9. " in hora saepe ducentos, „ in 10. 60. " amet scripsisse ducentos. „ Ex versu 92., qui jam in Sat. I. 2. 27. exstat, "pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum„ haec tantum manifestum recte dixit, quartam post secundam exaratam esse. Teuffelus in versu 23. poetam queri, quod nemo sua scripta legat contendens, inde satiram quartam antecessisse tertiam efficere vult. Praeterea cum nullam Maecenatis mentionem poeta faceret, idem suam sententiam eo probabiliorem esse sibi persuasit. Sed argumenta a silentio, quae vocantur, admodum esse infirma eum praeteriit. nec facile cuiquam sua, quam silentio praeterire non possum, persuadebit argumentatione. Haec fere est: Cum nullam Maecenatis mentionem fecerit Horatius mihi persuasum habeo, ante annum 717. satiram quartam esse compositam. Tum facilem explicatum habet versus 23. et ordo seriesque quartae et decimae. Nam ante hoc tempus pauca poemata ejus, ut poetae ignoti pauci legebant, sed cum Maecenatis familiaritate sibi conciliata omnium animos in se convertisset, homines curiosius illa coeperunt perlegere. Quo factum est, ut magis magisque obtrectatorum et adversariorum numerus augeretur. Quod cum vidisset, posteriore tempore satiram decimam sui defendendi causa exaravit.

Longe aliam, et quidem rectam loci interpretationem Düntzerus[1]) proposuit, poetam ita loquentem faciens:

Meine Schriften bekommt keiner zu lesen, und ich fürchte mich sie dem Volke vorzutragen, weil es eine Masse Leute gibt, die an solchen Gedichten kein Gefallen hat, da die Mehrzahl dem Tadel der Satire anheimfällt. — Idem disputat Horatium post sextam composuisse satiram quartam, quia quo modo versu 105. seq. patrem inducit, se illum jam in publicam probat protulisse notitiam. Cujus sententiam Teuffelus cum impugnaret dicens rem ita posse inverti, ut sexta post quartam in vulgus edita esse posset, parum Horatio conventurum fuisse Lucilii judicem agere, si paucas tantum

[1]) Kritik. und Erklärung des Horaz p. 176.

satiras emisisset, non animadvertit. — Frankius quidem satirae quartae post tertiam locum assignavit, sed post annum 716., quo recitationes publicae ab Asinio Pollione sint institutae, ortam esse negat, dicens: " vix tanta cum contemptione hunc morem derisisset si Pollionis commissiones, quae et oriebantur laudabili auctoris consilio et communi hominum doctorum plausu excipiebantur, jam invaluissent et publice quasi sancitae fuissent.„ Sed Kirchnerus [1]) in Commentario ad Sat. IV. tales publicas recitationes jam ante Pollionem in more fuisse et post saepius factas esse docuit. Cujus rei exemplum dialogum de oratoribus, qui Tacito ascribitur, perlegenti in capite 13. mihi occurrit, in quo Maternus Virgilium neque apud divum Augustum gratia neque apud populum Romanum notitia caruisse ita narrat: "Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.„ Sed pergamus tandem ad finem nostrae commentationis:

Kirchnerus ex eo quod erat probandum, ipsam probationem deduxit; Frankii argumentatio ruit, quod falsis rationibus innititur; Teuffelus argumento a silentio, valde infirmo, suam conatus est probare sententiam. Quae ergo explorata habemus, sunt haec: Satira quarta secundam et tertiam (vide commentationem, quam de tertia conscripsimus) secuta et proxime ante decimam est exarata. Quo igitur anno decima sit conscripta nunc quaeramus, quia fortasse ex hac quaestione absoluta ad quartae aetatem determinandam certi quid adferre poterimus.

Kirchnerus alias causas invenire non potuit, quibus permotus *Satiram decimam* in annum 723. u. c. posset conferre, nisi quod versum 44.: — " molle atque facetum -- Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae,„ non solum ad Bucolica sed etiam ad Georgica a. 724. a Virgilio absoluta referendum esse judicavit. Certum igitur inquit est, satiram decimam, si re vera haud multo post quartam a. 722. exaratam composita est, primae anni 723. dimidiae parti esse assignandam. — Brevibus igitur quaestionem absolvit, neque ego quaererem ultra, si mihi de anno 722. quartae

[1]) V. Hor. Sat. ed. vol. II. part. I. p. 163.

persuasisset. Quod cum non fecerit, alia circumspiciam argumenta necesse est. Ac primum mihi Frankii [1]), quam instituit de Georgicon aetate, quaestio occurrit, qua quidem Horatium Bucolica et primum Georgicon volumen eo tempore, quo „ molle atque facetum Virgilio Camenas rure gaudentes annuisse „ scripsisset, respicere potuisse probavit. Quod quidem sufficere reor ad Kirchneri — et ipse hist. Einl. pag. 11. Georgicon lib. I. a. 719. exaratum fuisse concesserat — rationem convellendam, qua ductus in annum 723. satiram decimam contulit. Nihil enim impedit, quominus anteriori anno eam assignemus. Deinde Frankius, quod Horatius in versu 26. duram Petillii causam oblique tangit, gravissimo documento esse docuit, satiram ante a. 720. esse ortam. Nam illo inquit temporis tractu Horatius Caesari deditus esse coepit desiitque ejus familiaribus illudere. Praeterea ei versus 42., in quem mentio perhonorifica Pollionis, ut qui tunc ipsum praestantissimas tragoedias scripserit, injecta est, idem suadere videtur. Quare spero haud multum a vero me esse aberraturum, si decimam cum Frankio anno 719. assignavero et quartam proxime praecesisse, fortasse anno 718. statuero. Ad quam sententiam confirmandam et hoc multum valet, quod nusquam posterioris temporis vestigium exstat. Nam nec Cassii illius Etrusci " ambusti capsis et libris „ mentionem nunc quisquam — ut Frankii verbis utar — post accuratissimam Weicherti disputationem [2]) ad Cassium Parmensem anno urbis conditae 723. demortuum referet, nec versus 38. seq.:

. . . . . haec ego ludo
Quae neque in aede sonent certantia judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

de Apollinis templo a. demum 726. condito intelligendi sunt, ut Massonus [3]) docuit.

---

[1]) Fasti Hor. pag. 22. seq.
[2]) De Var. et Cass. Parm. p. 213. seq. impr. 265. 266.
[3]) Vit. Hor. p. 161.

Satiram quintam tum Massonus doctissima commentatione, cum Kirchnerus potissimum anno 717. exaratam esse firmis comprobavit argumentis. Suo enim jure iter hac satira descriptum ad foedus anno urbis 717. inter Octavianum et Antonium Tarenti ictum refert, ubi Octaviae sedula intercessione effectum tandem est, ut pace reconciliata Antonius Caesari naves adversus Sex. Pompejum, Caesar Antonio milites ad Parthicum bellum commodaret, sibique invicem in quinquennium triumviratum prorogarent. Nimirum legati primum Brundisium contendisse videntur, mox autem abiisse Tarentum, ubi foedus, quod supra memoravi, ictum est. — Jam prius quidem Antonius et Caesar Octavianus rem suam per amicos et internuncios egerant. Tempore enim belli Perusini jam Sextus Pompejus Campaniae littora, pluribus oppidis vastatis depopulabatur. Quo finito Marcus Antonius triumvir ex Oriente cum classe advenit et Brundisium occupavit, Octavianum ejusque partes hostiliter aggressurus. Adversum novi belli periculum tota Italia pacem flagitante tandem anno 714. urbis conditae Brundisii per Maecenatem, Asinium Pollionem, Lucium Coccejum inter utrumque est composita. Sed cum Sext. Pompejus etiam tum Italiae oras et maria finitima infestaret, populi tumultus proruperunt, quibus triumviri coacti sunt, cum Sext. Pompejo pacem inire, quae a. 715. Miseni facta est. Sed jam proximo anno Pompejus, foedere superiore a triumviris perfide neglecto bellum instauravit. Quod bellum cum Caesar Octavianus minus feliciter gessisset, ut consilia cum iis conferret, ad praefinitam diem evocavit Antonium Athenis Brundisium, et Lepidum. Lepidus non venit. Antonius quidem, qui Octaviani Caesaris sororem, feminam tum formae venustate, tum animi virtutibus insignem superiore anno uxorem duxerat in ejusque amorem totus effusus hiemem Athenis inter festa ludosque transegerat, Brundisium cum paucis advectus est, sed sive quod Caesarem non deprendit, sive bellum adversus Sextum improbans, sive Caesaris apparatum majorem suspectum habens, sive prodigio aliquo territus, statim in Graeciam est revectus. Sed eo in conventu indicto omnino nulli legationi erat locus, si Appianum auctorem sequimur, qui non per legatos agere sed ipsum Caesarem adventare voluisse manifesto prodidit, cum eum conquestum esse de

Antonio diceret, quod se non exspectasset [1]) " Sed Caesar ait Kirchnerus [2]) per aestatem anni 716. ingentia damna in bello maritimo contra Sext. Pompejum perpessus, cum maximam classis partem simul cum multis copiis circa Scyllaeum promontorium tum procellis tum vi hostili perdidisset, in summis rerum suarum angustiis Maecenatem ad Antonium miserat, qui modo ortas inter utrumque controversias et simultates componeret, illumque si fieri posset ad belli societatem pertraheret. Ineunte vere sequentis anni 717., Antonius cum trecentis navibus in Italiam venit, societatem quidem belli contra Pompejum gerendi praetendens, sed re vera magis speculandi, quam agendi causa. Exasperatus enim ob criminationes quasdam suspectum habuit Caesarem. Brundisium versus cursum direxit, ibique castra ponere decreverat, sed a Brundisinis non admissus Tarentum classem circumegit, ibique diutius commoratus est. Nam Caesar nonnullis rebus, quae interea ipsi faustae evenerant, elatus et Antonio imprimis propter opem superiore aestate in Pompejum non praestitam succensens non ipse statim comparuit, sed per internuncios agens auxilium sibi oblatum primo tempore adeo detrectavit, et frustra conditionibus ultro citroque perferendis et agitandis tempus terebatur, donec Octavia ipsa intercedente effectum est, ut imperatores Tarentum inter et Metapontum congressi in gratiam redirent. „ — Caesar viginti millia militum Antonio ad bellum Parthicum, Antonius Caesari 100 naves rostratas dedit. Deinde abierunt prorogato sibi invicem triumviratu in quinquennium, Antonius in Syriam, Caesar ad bellum Siculum [3]). Plutarchus rem ita narrat:

Αὐτὸς δὲ (Ἀντώνιος) πάλιν ἐκ τινῶν διαβολῶν παροξυνθεὶς πρὸς Καίσαρα ναυσὶ τριακοσίαις ἔπλει πρὸς τὴν Ἰταλίαν. οὐ δεξαμένων δὲ τῶν Βρεντεσίνων τὸν στόλον εἰς Τάραντα περιώρμισεν. ἐνθαῦθα τὴν Ὀκταουίαν (συνέπλει γὰρ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος αὐτῷ) δεηθεῖσαν ἀποπέμπει πρὸς τὸν ἀδελφὸν, ἔγκυον μὲν οὖσαν, ἤδη δὲ καὶ δεύτερον ἐξ αὐτοῦ θυγάτριον ἔχουσαν. ἣ δ' ἀπαντήσασα καθ' ὁδὸν Καίσαρι, καὶ παραλαβοῦσα τῶν ἐκείνου φίλων Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν,

---

[1]) Kichner.: Quaest. Hor. p. 57. §. 6.

[2]) Quaest. Hor. p. 58. §. 10.

[3]) Appian. V. 95. — Dio Cass. XLVIII. 54. — Plutarch. Anton. 35.

ἐνετύγχανε πολλὰ ποτνιωμένη καὶ πολλὰ δεομένη μὴ περιιδεῖν αὐτὴν ἐκ μακαριωτάτης γυναικὸς ἀθλιωτάτην γενομένην. νῦν μέν γὰρ ἅπαντας ἀνθρώπους εἰς αὐτὴν ἀποβλέπειν αὐτοκρατόρων δυοῖν τοῦ μὲν γυναῖκα τοῦ δὲ ἀδελφὴν οὖσαν. "εἰ δὲ τὰ χείρω κρατήσειεν" ἔφη "καὶ γένοιτο πόλεμος, ὑμῶν μὲν ἄδηλον ὅτῳ κρατεῖν ἢ κρατεῖσθαι πέπρωται, τὰ ἐμὰ δ' ἀμφοτέρως ἄθλια". τούτοις ἐπικλασθεὶς ὁ Καῖσαρ ἧκεν εἰρηνικῶς εἰς Τάραντα, καὶ θέαμα κάλλιστον οἱ παρόντες ἐθεῶντο, πολὺν μὲν ἐκ γῆς στρατὸν ἡσυχάζοντα, πολλὰς δὲ ναῦς ἀτρέμα πρὸς τοῖς αἰγιαλοῖς ἐχούσας, αὐτῶν δὲ καὶ φίλων ἀπαντήσεις καὶ φιλοφροσύνας. εἱστία δ' Ἀντώνιος πρότερος, καὶ τοῦτο τῇ ἀδελφῇ Καίσαρος δόντος. ἐπεὶ δ' ὡμολόγητο Καίσαρα μὲν Ἀντωνίῳ δοῦναι δύο τάγματα πρὸς τὸν Παρθικὸν πόλεμον, Ἀντώνιον δὲ Καίσαρι χαλκεμβόλους ἑκατὸν, Ὀκταουία τῶν ὡμολογημένων χωρὶς ᾐτήσατο τῷ μὲν ἀδελφῷ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς εἴκοσι μυοπάρωνας, τῷ δ' ἀνδρὶ παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ στρατιώτας χιλίους· οὕτω δ' ἀλλήλων διακριθέντες ὁ μὲν εὐθὺς εἴχετο τοῦ πρὸς Πομπήιον πολέμου, Σικελίας ἐφιέμενος, Ἀντώνιος δ' Ὀκταουίαν μετὰ τῶν ἐξ ἐκείνης καὶ τοὺς ἐκ Φουλουίας παῖδας αὐτῷ παρακαταθέμενος εἰς τὴν Ἀσίαν ἀπεπέρασεν.

Plutarchus igitur quoniam Maecenatis mentionem facit, tum aliis de causis legationem illam, in qua Horatius Maecenatem est comitatus, in illud ipsum tempus incidisse facile evincitur. Horatium enim ut jam dixi, vere anni 715. Vergilio Varioque intercedentibus apud Maecenatem introductum et post in ejus amicitiam receptum esse scimus. Unde iter illud in Maecenatis comitatu sub illud tempus eum facere potuisse apparet. Et satira diligenter perlecta omnia egregie convenire ad Maecenati et Cocceji legationem ad Antonium susceptam invenies. Hi enim erant aversos soliti componere amicos, ut ait Horatius [1]). Accedit necessitas legationis a Caesaris parte ad Antonium mittendae [2]); denique quod anno tantum 717., quo Italia militibus vacua erat, iter potuit esse ita pacatum, quale fuit Horatianum. Noli autem in eo haerere, quod Horatius iter usque ad Brundisium tantum descripsit. Hoc enim tantum sibi proposuerat, et Brundisii mansit, cum legati ad Antonium usque Tarentum essent profecti. Sed hoc in medio relin-

---

[1]) V. 29.

[2]) V. 28.: — missi magnis de rebus uterque Legati.

quo atque iter post reditum aestate vel auctumno ejusdem anni 717. descriptum ab Horatio esse contendo. De rebus geographicis mitto verba facere, cum nihil ad nostram rem faciant. Tantum Walckenaerum in libro, cujus saepius jam mentionem feci, vol. I. p. 209. perquam bene explanavisse iter Horatianum animadvertisse velim.

Satirae sextae versus 45. seq.:

Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor.

satis demonstrant, satiram hanc adversus hominum malevolentiam esse conscriptam. Extiterunt enim, qui Maecenatis amicitiam prava ambitione Horatium sibi conciliasse crederent, atque natalium ignobilitatem et servilem adulationem exprobrarent. Quibus criminationibus ut occurreret poeta, primum v. 1.—44. de vero honore et nobilitate exponit, deinde v. 45.—55. Vergilii et Varii commendatione se in Maecenatis praesertim cauti dignos assumere amicos familiaritatem pervenisse narrat, deinde primam congressionem describit, denique qua singulari cura et diligentia pater eum educaverit docet, suumque ingenium vivendique simplicem rationem depingit. Quod argumentum luculentissimum exhibet testimonium satiram hanc esse conscriptam post quintam, ut jam probavi anno 717. u. c. exaratam. Kirchnerus, Walckenaerus [1]) a. 718. u. c. assignarunt, cum Frankius a. 717. conscriptam esse censeret, hoc potissimum nixus argumento, quod si poeta satiram anno 718. conscripsisset, certe Maecenatem cunctis apud Romam atque Italiam praepositum fuisse [2]) mentionem fecisset. Deinde ex versibus 30. — 39. manifesto apparere Maecenatem nondum Caesaris partibus functum fuisse contendit.

---

[1]) I. p. 258.
[2]) Tac. a. 6. 11.

Sed versus:

Sic, qui promittit cives, urbem sibi curae
Imperium fore et Italiam, delubra deorum.

sic sunt accipiendi, ut quae officia omnium virorum senatorii ordinis fuissent, indicare voluerit poeta. Scholiastes Porphyrion sic locum explicat: " Sic qui promittit se inservire senatorio ordini, et rempublicam administrare cupit, adstringit se ad eam necessitatem, ut inquiratur in eum a civibus, quo genero natus sit, in quanto censu sit constitutus. „ Maecenatem vero Caesar cum urbi et Italiae praeposuisset, non id fecit, quasi illum muneri, quod quidem peti posset, praeficeret, sed amicitia ductus, et fide ejus fretus. Noluit igitur poeta mentionem facere honoris a Caesare in Maecenatem delati, — honoris, quem ut observavi per ambitionem nemo assequi posset. Recte igitur dicemus satiram anno 718. contra inimicos suos, quorum numerus post iter Brundisinum valde auctus est, conscripsisse poetam, atque demonstrare voluisse, qua sibi ratione Maecenatis conciliaverit amicitiam, eaque minime ad splendida in re publica munera captanda se esse abusurum.

Satiram septimam omnium primam ab Horatio esse exaratam inter omnes viros doctos, si unum Frankium excipias, convenit. De anno tantum dissentiunt, cum Walckenaerus [1]) anno 712., Massonus, Kirchnerus a. u. 713. illam assignaverint. Quorum virorum judicio et ego accedo, cum Frankii argumenta nullius esse momenti mihi habeo persuasum, facilique negotio posse refelli putem. Is enim cum mentionem litis Persii et Rupili Regis a. 711. vel 712. factae nequaquam probare satiram brevi post

[1]) Vie d'Horace p. 63.: Il ne faut pas nous étonner si, de tous le vers qui nous restent d'Horace les premiers en date sont une courte satire, où il n'a eu pour but que de versifier un assez mauvais jeu de mots qui avait excité le rire de tous ceux qui se trouvaient présents lorsqu'il fut prononcé, et qui, en effet, était risible par sa burlesque application; parce qu'il fut dit naïvement, et surtout avec un grand sérieux, par son auteur, sans qu'il parût se douter aucunement de ce qu'il avait de ridicule.

scriptam esse diceret, non vidit Horatium rem " omnibus et lippis notam et tonsoribus „ descripsisse. Libenter igitur Frankio concedo, non fuisse poetae metuendum, ne tam faceta perridiculae rei pictura minus delectaret lectores post decennium et plures annos, tamen dubito, num post decennium:

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

Horatium scribere potuisse, ei concedere debeam. Idem Frankius " ironiam quandam et apathiam „ qua poeta Bruti mentionem fecisset, in v. 33. seq.:

. . . . . *Per magnos, Brute, deos te*
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc regem jugulas? Operum hoc mihi crede, tuorum est.

invenit. Illam " callidam ironiam „ etiam me fugisse haud ibo infitias. Sed dolorem meum me ita fuisse hebetem, ut istam " callidam ironiam „ non viderim, vehementer consolatur scholiastes Cruquius, qui haec de Rupilio rege memoriae prodidit: " Publius Rupilius Rex Praenestinus, postquam a Praenestinis in exilium missus est, in Attica (Spohnius recte emendavit in Africa. Conf. Caesar B. civ. I. 31. Cic. pro Lig. 1. 3.) militavit sub Attio Vario: deinde cum praeturam gereret, in triumviratu proscriptus ab Augusto confugit ad Brutum, in cujus castris cum Horatio commilito, tulit aegre tribunum eum esse militum, generis ignobilitatem ei saepe exprobrans; quare Horatius, ut se ulcisceretur, describit infacetum et arrogans ejus in jurgando cum Persio ingenium. „ Praeterea conferas velim carm. II. 7. et ep. I. 20. 23. et Horatium memoriae et nomini Bruti honorem semper habuisse invenies. Meo jure igitur poetam haud multo post, quam Romam reversus est, a. 713. satiram scripsisse contendo.

Satirae octavae annum constituere esse rem perquam difficilem in eaque conjecturae locum dandum omnes viri docti ingenue fatentur. Videndum igitur nobis erit, quam potissimum sententiam firmioribus nixam argumentis amplectamur. Maxime enim viri docti in anno constituendo dissentiunt, ut primo argumentorum obtutu vix quem sequaris, habeas. Sed ratiocinationibus et Kirchneri et Frankii, virorum et summa doctrina et diligentia et ingenii acumine insignium accuratius pensitatis utrumque errasse invenies. Ille in quaestionibus suis Horatianis p. 16. Bentleji computationem convellere conatus est ita, ut diceret, cum in lib. I. Sat. 8. novi Maecenatis horti in Esquiliis, loco prius sepulcris pauperum destinato memorarentur et in lib. II. sat. tertia in aedificando etiam occupatus appareret, — satiras has non nimis tempore posse inter se esse disjunctas. Atque cum ex aedilitate Agrippae v. 185. indicata Satiram libri secundi tertiam non ante annum 722. scriptam esse satis constaret, jam propterea Sat. lib. I. octavam a. 721. probabiliter attribui. Contra quam argumentationem Frankius ita exorsus est: Primum jam id falsum est, quod satiram tertiam libri secundi ante annum 722. exaratam esse negat Kirchnerus. Nam cum Agrippa jam anno 721. aedilitatis onus ultro susceperit (Dio. 49. 43.), ipse versus 185., in quo hujus rei mentio fit:

„ *Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu.* „

docet, satiram eodem anno et potuisse scribi et scriptam verisimile esse. Quare vel ita satira I. 8. priori tempori assignanda fuerit. — Sed illud Frankii argumentum nunc in medio relinquamus, et alterum potius consideremus. Dicit enim, ut brevibus rem complectar ex Sat. 2. 3.. 308. seq.:

Accipe: primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis.

et ex v. 312.

An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est.

nihil aliud consequi, quam Maecenatem per vitam nuuquam aedificare desiisse, deinde ex epod. 9. 3.

Tecum sub alta — sic Jovi gratum — domo,
Beate Maecenas, bibam.

aedes in Equiliis exstructas anno 723. a Maecenate jam habitatas fuisse. In octava vero, idem inquit, lib. I. satira tantummodo horti novi (v. versum 7.) iique ne plane confecti quidem commemorantur, non autem condita domus. Certe autem complanatio loci, quae cum satiram conscriberet poeta, ne absoluta quidem erat, ut ex satira eadem patet, nec non exsiccatio, deinde exstructio aedium haud dubie plurium annorum laborem postulavit. Quamobrem dubitari nequit quin anno 720. satira multo antecesserit. —

Sed in errorem Frankius prolapsus est, cum diceret, poetam honorificam novorum hortorum, quos Maecenas in Esquilino monte adornaverat, fecisse mentionem, ideoque satiram corroborata demum Maecenatis et Horatii amicitia ortam esse. Suo jure Düntzerus [1]) illam Frankii sententiam explosit, cum negaret aliquid honorifici inesse in tali mentioni, et diceret ex illa hoc tantum apparere, laetum fuisse poetam, quod in aprico spatiari sibi liceret. Frankius suam sententiam hoc etiam argumento tueri conatus est, quod v. 12. 13. accuratam locorum notitiam prodit. Quod et ego libenter concedo, hoc tamen discrimine interposito, quod, cum cuique in hortis spatiari liceret, Horatius facile locorum conseqni poterat notitiam, etiamsi non esset amicus Maecenatis. Videmus igitur neque ex Kirchneri neque ex Frankii argumentis, quae consideravimus, ad tempus Satirae definiendum quidquam certi adferri posse. Sed restat, ut aliud Kirchneri argumentum, majoris fortasse momenti, examinemus. Dicit enim carmina Canidiam diffamantia aliquot annorum spatium complecti, ac primum eorum fuisse Epodum 17., in quo probra mulieri isti objecta respexisset. [2]) Sed ut Bentlejus falso Epodon librum post Satiras profligatas biennio a. U. 723. 724. incluserit, ut Walckenaerus [3]) male libri primi satirae octavae ante Epodum quintum

[1]) Kritik und Erklärung der Satiren des Horaz. p. 82.
[2]) Kirchneri ed. Hor. Sat. libr. duo. vol. II. I. 274.
[3]) Vie d'Horace p. 145. et 146.

locum in ejusdem anni u. c. 715. spatio assignaverit, — pro explorato habere possumus, quod Kirchnerus docet, hoc Gratidiae seu Canidiae odium et insectationem per sex septemve annos durasse? — Ipse enim Kirchnerus caute dicit, sex septemve annos durasse " probabile „ esse. Et Frankius, [1]) qui Satiram libri primi octavam in annum 718. confert, " probabile „ fieri putat Epodum quintum eodem aut antecedente anno exaratum esse, et ex conjectura se id statuere nec cuiquam obtrudere ingenue fatetur. Kirchnerus [2]) autem sic concludit: cum Satirae libri I. octavae tempus satis probabiliter in annum u. c. 721. constitutum habeamus, huic quinto Epodo annum superiorem 720. recte assignare videmur. Sed hoc est ex eo ipso, quod est probandum, probationem deducere. Teuffelus [3]) denique argumentum potissimum respiciens, cum a rebus flagitiosis et turpibus non abhorreat, anno urbis 714. assignavit. Equidem omnibus rebus diligenter pensitatis solum ad hujus sententiam inclinare animum meum dicere audeo.

Quicumque in *Satirae nonae* tempore definiendo elaborarunt, inanem operam suscepisse mihi videntur. Nullum enim certi anni indicium exstat. Hoc solum fateamur necesse est, Horatium eam conscripsisse, cum jam in Maecenatis familiaritatem se insinuasset. Importunum enim hominem describit, qui ipsius auxilio Maecenatis favorem aucupari conatur, docetque, qualis sibi familiaritas cum Maecenate intercedat. Qua in re describenda cum perfecta atque absoluta arte usus sit, sane satira posteriori tempori assignetur. Sed illam a. 719. ut Frankius contendit, aut 720. ut Kirchnerus docuit, esse compositam, neminem esse. qui omni dubio remoto dicere possit, mihi persuasum est, eosque qui certum annum statuant, divinatione uti est manifestum. Confiteamur igitur, rem in incerto esse. Nec scire fas est omnia.

---

[1]) Fasti Hor. p. 130.
[2]) Quaest. Hor. p. 27. §. 49.
[3]) Museum für Philologie 1846. p. 111.

De aetate *satirae primae* **libri secundi** quaerentem maximae excipiunt difficultates. Nihil est igitur, cur mireris, viros summae doctrinae et summae in his rebus auctoritatis in partes discessisse diversas.

Ita igitur percribrata et omnibus ex partibus considerata res est, ut vix novi quidquam adferri posse videatur. Maxima tamen diligentia Teuffelus usus est, qui omnia reliquorum virorum argumenta judicio suo subtilissimo convellere conatus, novam proposuit sententiam. Is enim [1]) satiram I. in annum 724., ut Frankio, [2]), vel in a. 726. ut Kirchnero [3]) placuit, referri posse, non autem omnino referendam esse docuit. Haec vero sunt illorum virorum argumenta, quae Teuffelus diluere est conatus:

1. Caesarem Invicti nomine ante ornari non potuisse, quam Cleopatra et Antonius devicti et extincti essent.

2. Caesarem ab Horatio non potuisse prius judicem appellari, quam reduci populus concessisset, ut ad eum provocatio esset.

3. Anno demum 726., cum Caesar bene constituta et ordinata republica eo otio uteretur, ut rebus privatis consulere posset, Horatium de illius partrocinio gloriari et e sua sententia Trebatium dicentem facere potuisse v. 16.: "Attamen et justum poteras et scribere fortem „.

Primum argumentum Teuffelus ita confutat, ut dicat, Invicti nomen, Octaviano datum, ita esse interpretandum, ut rem potius hominum illius aetatis judiciis, quam nostris videamus. Qua in re et ego ei assentior, quoniam invictus est, et qui non est victus et qui vinci nequit. Quam adjectivi notionen scriptorum auctoritate possum multorum comprobare, sed satis sit meminisse Ciceronis, qui Ac. 4. 38. 82. imperatorem invictissimum vocat, et defensionem in c. 28. or. post red. in sen. habitae invictam appellat. Recte

---

[1]) V. Kirchner. editio. vol. II. 2. pag. 3. seq., Museum für Philolog. p. 208. seq.

[2]) Fast. Hor. p. 110. seq.

[3]) Quaest. Hor. § 35. 36.

igitur docuit Invicti nomine jam prius Octavianum potuisse ornari, quam Antonium vicisset et Cleopatram. Sed et nos hoc loco illud Teuffeli " potuisse ornari „ nec tamen fuisse ornandum dicemus. Idem Teuffelus praeterea quod Frankius et Kirchnerus contenderunt, propter Gallorum et Parthorum mentionem verisimillimum esse ante a. 724. aut a. 725. scribi non potuisse, Frankii ipsius hac argumentatione, communem poetarum illius aetatis fuisse morem, ut etiamsi Octavianus nihil, quod admodum memorabile esset, adversus Parthos egisset, magnifice tamen de rebus Parthicis loquerentur, infirmari animadvertit, et Octaviano cum Gallis et ante annum 724. et post rem fuisse docet. Contra alterum Kirchneri [1]) argumentum sic disputat, ut interpretationem illam versus 84. dubiam, non probabilem, ne dicat falsam esse contendat. Tertio denique argumento nullam probandi vim inesse dicit.

Sic illis argumentis labefactatis novam viam, qua aetatem satirae inveniret, ingressus est. Comparatis enim inter se prima et quinta hujus libri satira, in illa Horatium quasi invitum, in hac ultro et causa capta, ut ajunt, ad Caesarem laudandum esse delatum contendit. Manifestum est igitur, inquit Teuffelus: primam antecessisse et quidem aliquanto antecessisse quintam. Quam opinionem eo firmari putat, quod in versum 22. lib. II. Satirae primae Pantolabi, quem in Sat. I. 8. carpsisset, mentio sit injecta. Quae quidem praeter expectationem esset facta atque explicatu difficilis, ni versum undecimum satirae libri primi octavae, Satiris libri primi in unum corpus collectis atque nuper editis in memoriam revocatum esse putaremus. Deinde, cum liber primus haud multo plus mille versus complectens editus esset, obtrectatores poetae nostri versus illos oculis perlustrantes dicere potuisse, tale quid nullam artem requirere, et paucis diebus facile posse conscribillari. Horatium igitur voluisse significare se tamen in satiris componendis esse perseveraturum, cum id genus suae naturae maxime esset consentaneum et vir esset insignis, qui ipsum ne id genus omitteret, hortaretur (v. 84.). Quam adhortanem ad satiras decem priores, quae in Augusti manus venissent, ejusque approbationem movissent, in unum librum collectas et una

[1]) Histor. Einleitung pag. 21.

editas, videri referendam. Horatium igitur, laudem quidem accepise, sed cum ei fortasse esset leviter aliquo modo significatum, Augustum optare, ut ipse laudibus ab eo extolleretur, pro sua urbanitate, quae sentiret, explicare voluisse. Quamobrem verbis versus 20. ironiam quandam inesse, non fortasse perperam dici. — Quibus positis Teuffelus Satiram primam a. U. 720. — 721. assignavit, quo statuto etiam versum 60., quo Horatius satiras se omissurum esse negat, facilem explicatum habere docuit. Quo argumento gravissimo et me Teuffelus ad suas partes pertraxit.

Satiram secundam Kirchnerus ad auctumnum anni 717. refert, quo Horatius ex itinere Brundisino redux Ofellum suum in agro prope Venusiam sito reviserit. Frankius contra, quem praejudicata tenet opinio, omnes satiras quo extant ordine esse compositas, Horatium ex Ofelli sermocinationibus satirae hujus materiam desumpsisse concedit, nec tamen inde oolligi posse contendit, ab illo esse statim post reditum exaratam. Teuffelus nec unius nec alterius sententiae accedens satiram a. 715. — 716. in editione Kirchneri Vol. II. parte II. pag. 39. assignavit, cum in Mus. Rhen. pag. 213. in annum 725. eam retulisset. Cujus commentationem cum perlegissem, illud Plauti mihi occurrit:

— Omnía se simulant scíre —
Quod quísque in animo habét, aut habiturúst, sciunt;
Sciúnt quid in aurem rex reginae díxerit:
Sciúnt quod Juno fábulatast cúm Jove:
Quae néque fuerunt, néque sunt, tamen, illí sciunt.

Teuffelus enim subtilissima quidem argumentatione non tamen ad parsuadendum accommodata efficere vult, Horatium, cum argumentum in Maecenatem potissimum cadere videret, consilium Sat. secundae a. 715. — 716. compositae, in collectione, quam facere in animo haberet, omittendae cepisse. Ita factum esse, ut Horatius, cum primam illam collectionem Satirarum ederet, hanc oppresserit, nec reliquarum corpori inserere voluerit. Posteriore tem-

pore vero, satiris post librum primum exaratis et in unum corpus collectis, pro rerum conditione mutatum Ofellum adjunxisse poetam, quoniam interea festivitatem et leporem cognovisset Maecenatis, qui tantum aberat, ut ejusmodi res in malam partem acciperet, ut vel ipse eum ad Offellum edendum hortaretur. Sed quominus Teuffeli praecepta sarta tecta, ut ajunt, habeamus, magnopere annus ipse, quem definivit, obstat. Illo tempore enim, si satiram jam exarasset, Horatius statim emisisset, cum ei non esset verendum, ne Maecenati, quem adhuc non haberet amicum, minus grata esset. Nam circa finem a. 716. aut. 717. initium consuetudinis inter utrumque factum certissime constat. Sed ut Horatius "futuram amicitiam„ respexerit, cur versum 25. sat. II. libr. I. "Malchinus tunicis demissis ambulat„ servavit, cum ederet librum? Apparet Horatium nequaquam constantia fuisse usurum, si satiram alteram repressisset et posteriore tempore mutasset, alteram vero emisisset immutatam. Obbarius et Jahnius[1]) in eam sententiam disputarunt, ut ob versum 103:

. . . . . *quare*
Templa ruunt, antiqua Deum?

scriptam esse dicerent, quasi Horatius Octavianum ad templa reficienda hortari voluisset. Suetonius quidem Octavianum a. 726. aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecisse narrat. Sed Satiram ad consilium Octaviani templa reficiendi referendam esse, quis certo dicere audebit? Walckenaerus [2]) Satiram in annum 718. contulit, dicens: La deuxième satire du libre II. est certainement une des primières qu' Horace ait écrites, la première peut-être où il ait donnè la mesure de son talent comme poëte moraliste.

Düntzerus [3]) Horatium hac satira monumentum ponere voluisse putat viro honesto et frugi, qui nuper obierat, eamque in annum 720. refert. Kirchneri sententiam autem ita refellere conatur, ut

---

[1]) Jahns Jahrbücher XXXVII. 364.

[2]) Histoire de la vie et des poésíes d' Horace, tome premier. p. 253.

[3]) Kritik u. Erklärung der Satiren des Horaz vol. I. pag. 269.

dicat, Horatium et posteriore tempore Venusiam venire potuisse [1]). Ego abstinens conjecturis, quarum numerum augere me piget, aliorum opiniones retulisse satis habeo, cum aetatem satirae certo definiri non posse, mihi sit persuasum.

Satirae tertiae annus ex versu 180. et v. 185. evincitur:

Praeterea ne vos titillet gloria, jure
Jurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
. . . . . .
Scilicit ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem!

M. Vipsanius Agrippa a. U. 721. aedilis munere functus est, teste Dione (49. 43.) et Plinio (Hist. n. 36, 13).

Ex versu vero quinto:

. . . . . *ab ipsis*
Saturnalibus huc fugisti

et seq. Horatium urbe relicta in villulam suam se recepisse apparet. Qua villula num suam villam, quam in Tiburti habebat, an praedium Sabinum a Maecenate dono acceptum indicare voluerit, hoc loco non quaeram, quia hanc quaestionem nihil ad nostram rem facere puto. Solum hoc monuerim, Satirae habitu et forma verisimile fieri, eam a. 721. esse exaratam, quamvis Kirchnerus huic opinioni adversatus, illam in annum 722. retulerit. [2])

Satiram quartam anno 722. compositam esse Frankius censet, in quam computationem tamen ne ipse quidem juraverit. Nititur enim, inquit, ea tantum conjectura, quam de Sermonum

---

[1]) Confer James Tate, Horat. restit. p. 146.

[2]) Kirchner. quaest. p. 16. § 34.

ordinatione saepius proposui. Praeter Frankium et Teuffelus satiram in a. 722. contulit, quamquam aliis rationibus ductus. Is enim Heindorfii conjectura, qua ignotum Catii praeceptorem Maecenatem ipsum fuisse statuit, atque arte, qua usus poeta materiam tam difficilem atque arduam summa cum facilitate et elegantia tractavit, eo adductus est, ut satiram posteriori tempori, quo Maecenati Horatius erat intimus amicus, assignandam esse putaret. Deinde totam satiram festiva quadam ironia contineri, eoque consilio occulto compositam esse dicit, ut res descriptae re vera vanae et dignae, quae despicerentur, apparerent. Quamvis poeta illas non adeo negligeret, ut eas describendas sibi non proponeret, tamen idem eas contemnebat, ut ait Teuffelus, addictus sanae Ofelli rationi, quam haud multo post in satira sexta summo studio laudavit et insigni dignitate et summo splendore illustravit. Satira sexta libri secundi vero, idem ait, certo in finem a. 723. incidit, quamobrem satiram quartam a. 722. assignandam esse censet [1]). Cui sententiae, cum saltem aliquam probabilitatis speciem habere videatur, et ego accedo, missam faciens Kirchneri et Walckenaeri opinionem, qua satiram anno 724. assignarunt.

De *satira quinta* non faciemus verba multa, cum unum tantum locum habeamus, qui quidem de aetate satirae nos doceat. Est autem vers. 62., et seqq.

Tempore, quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.

Hoc loco edocemur post pugnam Actiacam id est. a. 724. satiram exaratam esse, cum non sit verisimile, poetam res Octaviani terra marique gestas ante laudavisse. E navali pugna Naulochensi enim

---

[1]) Horatii Serm. lib. duo vol. II. p. 2. pag. 114. seq.

a. 718. commissa auspiciis quidem Octaviani, sed tamen illo absente, Agrippa victor discessit, neque hanc ipsam pugnam laudibus poeta efferre potuisset, nisi priorum cladium et potissimum Tauromenensis memoria repeteretur [1]). Quam opinionem Parthorum mentio facta confirmat, quamvis Frankius [2]) moneat, ut caveamus, ne ob verba " juvenis Parthis horrendus „ de expeditione ab Octaviano a. 724. et 725. in Asiam suscepta cogitemus.

Rectius ille animadvertisse nobis videtur, non posse satirae ortum usque ad annum 726. proferri, cum non sit credibile, Horatium Janum clausum, triumphi celebrationem, alios honores Octaviano ipsis Calendis Januar. a 725. decretos vel casu vel de industria tacuisse, et res multo minus memorabiles in ejus laudem commemorasse.

Massonus primus [1]) rationes exposuit, propter quas *Satira sexta* libri secundi a. 723. u. c. assignanda esset, omnesque, qui postea de aetate satirae quaestionem instituerunt, accesserunt ejus sententiae his potissimum ducti argumentis. Primum Dacorum mentio v. 53 " Num quid de Dacis audisti „ probat satiram scribi non potuisse ante finem a. 723., quo primum Romanis cum illis res fuit. Dio (51. 22.) enim nihil eorum, quae per legatos a Caesare petivissent, adeptos Antonium juvisse illoque ad Actium superato jam exeunte a. 723. motus civisse testatur. Ita Frankius [2]) intelligitur, inquit, curiosos homines ex Horatio de Dacis non ante a. 723. quaesivisse, potuisse autem quaerere fine hujus anni. Secundum argumentum ex versu 55. et 56. petitur:

" — *quid? militibus promissa Triquetra*
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus? „

Dio enim (51. 4.) memoriae prodidit Octavianum post pugnam Actiacam media hieme (*μεσοῦντος τοῦ χειμῶνος*) Brundisium ex

---

[1]) Vita Horatii Lugd. B. 1708., p. 150. — 154.
[2]) Fasti Hor. p. 120.

Asia venisse ad seditionem veteranorum, quos sine munere dimiserat, compescendam, ibique triginta (Dio 51, 5.) aut viginti septem dies (Suetonius c. 17.) moratum, donec desideria militum ordinarentur, et deinde in Graeciam indeque in Asiam esse revectum. Primo autem, quod attulimus, argumento hoc loco de anno 718., quo etiam agros Octavianus inter veteranos tum in Campania tum in aliis Italiae regionibus distribuerat, non posse cogitari, facile evincitur. Denique quod v. 38. dictum legimus:

" *Imprimat his cura, Maecenas signa tabellis* „

anno 723. egregie convenit. Etenim Maecenas Romae et Italiae tum praepositus, (Dio 51. 3. Plin., 37. 2.) una cum Agrippa annulum ejus signatorium sphingis imaginem referentem, cujus duplex ejusdem formae exemplar Octavianus habebat, acceperat, eoque obsignandis ipsius nomine tabellis est usus. Quibus argumentis Kirchnerus [1]) Bentleji, quam in initio commentationis nostrae exscripsimus, computationem convellit. Nam si satira haec ad annum 718. esset referenda, initium familiaritatis inter Horatium et Maecenatem jam in annum 711. incidisset.

Satirae septimae et octavae aetas certe describi non potest. Solum dicere possumus ex satirae septimae versu 118. manifestum fieri, poetam praedium Sabinum jam diu possedisse, ideoque si ultimam non dicemus, tamen recte novissimis illam adnumarabimus. Teuffelus, Spohnius, Weberus a. 726. illam assignarunt, Kirchnerus in annum 725., Frankius in a. 724. [2]) contulit. Quis horum ad verum quam proxime accesserit, perquam difficile est dictu. In versum ultimum Canidiae mentio est injecta ob eamque Teuffelus hanc satiram in primis secundi libri esse judicavit. Aliter senserunt Kirchnerus, Frankius, qui mera conjectura ducti eam a. 724. assignarunt. Walckenaerus [3]) hoc consilio quartam et octavam sa-

---

[1]) Quaest. Hor. § 38.

[2]) Hor. Flacci Sermonum libri duo. vol. II. pars. 2.

[3]) Histoire de la vie et des poésies d'Horace tome I. p. 394.

tiram libri secundi Horatium composuisse putat, ut Maecenatem oblectaret dicens: Ces deux satires, de même que le voyage à Brindis, ont été composées dans le même but, c'est-à-dire pour l'amusement de Mécène et de sa société. Celle-ci est placée la dernière dans le recueil d'Horace, parce que probablement il ne la rendit publique que longtemps après les autres et lorsque le principal personnage qui s'y trouve bafoué n'existait plus.

Restat ut examinem utrum Satirarum liber primus separatim an cum secundo simul editus sit. — Quae quidem quaestio, cum jam singulae satirae apud vulgus innotuissent, minoris momenti et de lana caprina, ut ajunt, esse mihi videtur. Sed ne commentatio mea manca dimittatur, neve absque capite aberret — ut verbis utar, quibus Socrates Calliclem in Gorgia dehortatus est, ne sermonem abrumperet — sententias duas et eas contrarias a viris doctis propositas sub censuram sum vocaturus. Alteram libros una edidisse Horatium Kirchnerus majori usus doctrina et diligentia quam felicitate defendendam suscepit, alteram singillatim libros emisisse poetam Frankius[1]) potissimum non infelici eventu probandam sibi proposuit. Hic omnes fere non solum eruditos sed adeo harum litterarum peritos ad suas partes pertraxit, ille argumentatione est usus, quae, si vera sunt, quae disputavimus, jam collabefacta est et convulsa. Praecipuum enim Kirchneri argumentum, esse Satiras primi libri, quae post alias secundi libri essent scriptae, esse deinde libri secundi, quae ante nonnullas libri primi satiras essent compositae, fundamento carere pro comperto habemus. Secunda tantum libri secundi satira rem in dubium potest vocare. Sed quam incertis conjecturis illius Satirae temporis constitutio nitatur, Teuffeli, qui tempore alio aliam sententiam proposuit, docuit exemplum. Nec alteri Kirchneri argumento multum tribuendum puto. Quod enim Scholiastas utrumque librum " hoc opus „ appellasse ait, non miraberis, si eos Satiras, quia habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione argumenti consiliique quadam inter se conti-

[1]) Fast. Horat. p. 30. — 41.

nentur, unum quasi opus appellare potuisse tecum reputaveris. Adde quod Scholiastae posteriore tempore et quidem sex saeculis postea, quam Horatius vixerunt ideoque eorum auctoritati non tantum est tribuendum, ut omnia eis credamus. Haec Kirchneri argumenta potissimum non esse silentio praetereunda putavi, ceterum argumenta a Frankio pro sua sententia allata et a Teuffelo jam repetita retractare supervacaneum esse mihi videtur. Ajo igitur me cum Frankio facere et mihi esse persuasum, librum primum separatim anno U. 720., secundum fortasse 725. emisisse Horatium.

Corrigenda: pag. 12. v. 10. leg. prodidissent. — p. 14. v. 19. leg. me effecisse. — p. 14. v. 26. leg. Horatium etiam. — p. 16. v. 6. leg. definiendum. — p. 16. v. 25. leg. Bentlejus. — p. 16. v. 30. leg. invidiaeque. — p. 17. v. 22. asseclas ejus. — p. 21. v. 14. leg. impetrare. — p. 22. v. 9. leg. haud. — p. 24. v. 22. leg. conscripsi. — p. 26. v. 29. div. trans-egerat. p. 27. v. ult. leg. ἐκείνου. — p. 28. v. 2. leg. μὲν. — p. 28. v. 26. leg. Maecenatis. — p. 30. v. 8. leg. genere. — p. 30. v. 24 leg. habeam.



A. Clodig Ed.